M Sargrichez

Bab lon

# LABORES HERCULEI

Operosæ Virtuti & Eruditioni
XI. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatorum
in præmiatricem Coronam

# COMPOSITI,

ac dum
post strenuum in Stagyritica acie certamen,
in Alma Universitate Cracoviensi,
*per*
*Illustrem Clarissimum & Admodùm Reverendum Dominum,*

## D. M. AMBROSIUM
# BUSZYDŁOWSKI,

Philosophiæ DOCTOREM, Ejusdemq; Regium ac Ordinarium Lingvæ Gallicæ PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Cracoviæ CANONICUM.
In numerosa Hospitum Præsentia.
AA. LL. & Philosophiæ Baccalaurei,
Ritu Solenni renunciarentur,
Votivi applausûs gratiâ
*à*
VALENTINO CANTIO
PODZYNSKI,
Ejusdem Laureæ Candidato,
Luci Publicæ

# EXPLICATI.

Annô quô
In Labore & sVDore MerCes CopIosa sIta est.
*Die 30. Mensis Junii.*

---

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.






Inclyta prodigiîs Cracium Regina per Orbem
Cûi placet ingeniis rite dicata Domus.
Quæve favore Tuo miseris succurrere discis,
Suscipias primi dulce laboris opus.
Porta Poli, Tutela Soli, Rosa Tu sinè spinis
In decus ire Tuum laurina serta sinas.

# GRATIARUM COLLEGIO,
## Mysteriorum Universitati,
## Ad Imaginem & similitudinem DEI
## Perfectissimæ Creaturæ,
# M A R I Æ
# OPTIMÆ MAXIMÆ;
Utì ubiq;
Cælestium Opum
## T H E S A U R A R I Æ,
Vitæ ac salutis æternæ
## E L A B O R A T R I C I,
ita
In Vestibulo Côllegii Majoris Almæ Universitatis Cracoviensis, à trecentis ampliùs Annis Gratiîs & concursu Studiosarum atq; devotarum mentium.
## CELEBERRIMÆ PATRONÆ,
æternùm mancipata & militans anima.
Dat Donat Dedicat.

P*Hilosophicas quibûs in primæva Regni Schola Pallas Jagielonica primùm mea & Concandidatorum præcingit tempora Coronas, pietatis vinculô copulatas* Aræ Tuæ Gratiosæ *substerno, Tuis Sanctissimis Pedibus, Tuo Virgineo submitto Calcaneo,* MATER Misericordiæ, Poli & Poloniæ REGINA Augustissima. *Quemadmodū enī maximo mihi duxi honori, minimô hoc ex se opusculô,* Tuæ *primæ post* DEUM *militare Eminentiæ, ita collectas* Laureas *nemini convenientiùs offerre, nulli faustiùs potui consecrare. Istæ utiq; Frondes bono omine sub* Tuo Nomine *ex Academo in frontes decerptæ durando sæcula vincent, vere florebunt perenni, liberæ à fulmine malignantis vigebunt fortunæ, dum* Tibi *Cælestium Charismatum* Paradiso, *ex Quo innumera Gratiarum in immortales mortalium animas explicantur centifolia, ex Quo* Flos *Ille* Campi *suo sanguine Purpureus,* Lilium Convallium, Palma *Uni-*

*versæ prodiit Salutis, inplantantur. Veris Laureati primitiæ serta, triumphales mihi & redimito Cætui sese sinuabunt in arcus, ubi* Tibi *Sanctorum Omnium Coronæ, illius mali à malo* Coronidi, *unà cum cordibus devotis in victimam anatema, & heccatomben cedunt. Prima hæc adorearum non metuo ad Scholasticos æstus nè marcescant germina, irrigabis ea* Tuis *lacrymis, quibus ad* Te *confugientium siccas* Mœstissima cum REGE Dolorum PARENS, Mare Gratiarum MARIA. *Vilis mei ingenii partus, se ipso majus nancifcetur pretium, ad* Te *in Porta* Sedem Sapientiæ. *Non perdam oleum & operam, ad* Oleum effusum Nomen Tuum. *Procul atra caligo, procul mentem teterrimus error, non cæco impetu in ardua laborum ibitur,* Tua *prodromante Gratia* Sanctior Minerva, *Lunâ Splendidior, Sole Illustrior, ordinibus Stellarum Clarior, Musis uti Christianis, ita Academicis (ad quarum Peripatum dum Cæli Viatorem per* Te *vocârunt* Cantium, *ex* GRATIÆ *remigrâsti Hospitio)* Aurora Faventissima. *Logicales difficultatum aculeos, Spinæ Regum Coronati* REGIS, *non tam ad nostri compunctionem cordis, quàm ad* Tuam *expungent Instantiam. Tragica* Illius *Cædes per* Tuas *præces Ædes vostrûm gremio altioris adaperiet honoris, quæ servorum intenta, quæ Portam Ottomanicam clausit. Per* Te *ò* Diva Potens! *ex voto visitatam, seu veriùs Favorum* Tuorum *armatus umbone Hercules ille Polonus* JOANNES III. *immanem Turcarum domuit licentiam, compescuit furorem, vicit audaciam, optimum Imperio restituit malum. Per* Te *ò* MATER Optima! Domina Sanctissima! *jam ultra tertium sæculum, hæc Cracio Academo favent tempora, quibus ad continuos sudoris imbres aurea Literarum colligitur messis. Ad* Te *devotis animis alibi navales, Civicæ, murales, obsidionales, in Lechæa Dodona Laureæ revirescunt Adoreæ.* Tua *Cooperatrice Gratia maximis idiotis in Thaletes mutatis, pulvis ille Scholasticus in Olympum consurgit gloriæ. Sub* Tuo *Præsidio Jasones illi chartis velificantes & calamis, sine metu metam, sirtibus non allisi sortem, pro scopulis votorum suorum attingunt scopum fortunatum. Subticeo cætera, quæ publica loquitur fama, illud felix Sæculum, quô à Lauris Academicis ad Aureolas Cælestes tot Candidati creverunt, minùs eruditâ non circumscribo pennâ, pœnam vel inde meriturus, crimen læsæ Majestatis commissurus, quòd profundissimam* Gloriæ Tuæ *rimari prætenderim abyssum, quam ingeniô æquari velle, quis ausus? quæ facultas? quæ dicendi potestas? quàm thasibus metiri Rhetoricis idem est: ac Cælo splendorem, Olympo atomum, guttulam fluminum Fonti, scintillam Vesuvio, frondiferæ Dodonæ minutissimum ramusculum applicare. Labor ergo cum Laureatorum Caterva ad* Tuas Sanctissimas Plantas MARIA misericordiâ Plena, *quibus mille oscula profundissima cum adoratione figo, robustior ad futuros surrecturus labores, jaculis adversæ non agitandus fortunæ. Suscipe itaq; exiguum hoc pietatis argumentum, benedictionem* Maternam *in ulteriores progressus non denega, cum cultu profundo corde & ore devotissimè obsecro.*

## GRATIOSÆ EFFIGIEI TUÆ

*Adorator indignissimus*

Author Operis.

# VICTORI
De Mundo, Carne atq́, Sathana
# TRIARIO,
ſimul ac
Trina redimito tempora Lauru
# ATHLETÆ,
# DIVINISSIMO JOANNI CANTIO,
Sacræ Theologiæ
## DOCTORI & PROFESSORI,
Regni Poloniæ & M. D. Lithvaniæ Singulari
## PATRONO,
Univerſitatis Cracovienſis
## PATRIARCHÆ.
## Ode Votiva
Cum Epigraphe

- - - Tu ſatis ad dandas in carmina vires.
*Lucan: Lib. 1.*

- - - præſens noſtro ſuccurre labori.
*Virg. 3tiò Æneid.*

DOtibûs clarîs renitere, durum
Corde robuſto cupimus laborem
Ferre, vel ſortem quoties precamur,
Numen adeſto.

Nil enim poſſunt hominum labores,
Nil valent curæ vigiles, juvat nil;
Sedulus vivas, eris at ſecundus
Tempore nullo.
Si tibi deſunt Superûm favores,
Dum Dii Cæli, Maris atq; Terræ
Non ferunt robur, cadis ecce, ſi non
Fulcit Olympus.
Non priùs dextram tabulæ admoveto,
Ad preces pectus quoad evibrabis,
Nec pedem figas, venerare verùm
Tecta Tonantis.
Romulus, Remus, veteres Sabini,
Roma, diſperſi populi per Orbem;
Luce ſacratæ Fidei carendo
Hæc coluere.
Non priùs lætas olitor per herbás
Fecerat greſſus operatus arvis,
In Domum donec Cererem vocaret,
Legit ariſtas.
Æquor immenſum ſpatiîs petivit
Nauta, Neptunô precibûs ligatò
Miles in ferrum ruit invocato
Marte cruento.
Nos caput primis pariter coronis
Subdimus quando, properamus omnes
Ad Tuos ſacros Cineres JOANNES
Corda ferentes.

Tu

Tu ſatis nobis tribues favoris,
Arduos reddes faciles labores,
Suggeres robur validum lacertis,
Membra juvabis.
Ad Tuas quivis recreatur Aras
Quæ petit, Cælô retinet benigno
Per Tuas voces, Tua per rogata,
Dive Patrone.
Mortuus vivit, videt ampla cæcus,
Ambulat claudus, tacitus perorat,
Surdus exaudit, miſeri levantur,
Horret avernus.
Serta Doctores quoties capeſſunt,
Te priùs votîs venerantur imîs,
Et ſuos proni ſtatuunt labores
Ad Tua Buſta.
Sub Tuas quare Pater & Patrone
Supplices Plantas cadimus petentes
Quatenus primos Sophicos labores
Proſpere agamus.
Adde fulcimen ſolidesq; vires,
Lumen in mentem tribuas ſecundum,
Solve conſtrictum genium, precamur
Corde profundo.
Nosq; pro tantis Tibi devovemus
Gratiis grates humiles daturos,
In DEUM per Te precibûs feramur
Omne per ævum.

*Illustribus Clarissimis & Admodùm Reverendis Dominis*

# EXAMINATORIBUS.

*Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,*

## D. M. JOANNI JOSEPHO RYGALSKI,

Philosophiæ DOCTORI, Ejusdem Regio & Cursûs Vladislaviani PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ ARCHIDIACONO, ac interea Artisticæ Facultatis DECANO.

*Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,*

## D. M. AMBROSIO BUSZYDŁOWSKI,

Philosophiæ DOCTORI, Ejusdemq; Regio ac Ordinario Linguæ Gallicæ PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Cracoviæ CANONICO.

*Clarissimo ac Excellentissimo Domino,*

## D. M. JACOBO NIEGOWIECKI,

Philosophiæ DOCTORI, Matheseos ac Ejusdem Cursûs PROFESSORI, Geometræ Strzałkoviano Jurato, Collegæ Majori Vocato.

Offertur Hercules inter Astra relatus cum Epigraphe:

Locum virtus habet inter Astra.

*Senec: in Hercule Oetæo.*

HActenus innumerîs agitabar sensibûs intus,
Sollicitusq; diu Pontum nemorumq; recessus,
Sylvas, florigeros hortos, montesq; superbos
Percurri; meditans folium, stirps, gemma lapillus,
Flosculus aût arbor Vestris magè serviat altis
Dotibus. Ergo Erythri mergi cupiebat in undis

Mens

Mens mea, gemmarum ſpecies penetraret an illæ
Promere dona valent meritis condigna peramplis
Veſtrûm. Sed ſudore labor perfuſus abundo,
Fluctivagas pretiô gemmas ſuperare videtur.
Ergo Jovi ſacros montes conſcendere reſtat,
Exprimat ut laudes ſaltim potiore metallo
Grata Camena Tuas, multum venerande Virorum
Ternio. Jam Scythiæ colles, jam Thracia montes
Quos ſervet, revidet, teneat quos Indus Arabsq;,
Pannonus, Hiſpanus celeber, quos Dalmata dives.
Hinc Adamas, aurũ, Carbunculus, hinc Amethyſtus,
Hinc Sapphirus, adeſt, Jaſpis, diadema Beryllum
Hinc habet. Hic laudi Veſtræ ſcopus eſſe nequibit
Attamen. En mentes excelunt montibus altis,
Dignior eſt Sceptrô, & Regni diademate virtus.
Quid dubiîs faciam votis Heliconis? ubiq;,
Munus conveniens quæſivi, ſpe tamen omni
Non gaviſa mea, tandem quæ carmina dicam
Extra me rapior recolens. Torrebor ab æſtu
Si Cœlo referar, præluſtrem Tecta Deorum.
Suſpexi tacitô fulgentia ſidera Cœlo.
Mox ſimulac hærens animus nova gaudia cæpit,
Herculis Aſtriferi poſt prælia geſta laborum
Emicuit facies. Jam ſtet ſententia talis;
Stellifer iſte Deus Vobis pro munere cedat
PATRES, ob ſummas dotes animumq; virilem
Nervos ingenii, vigilis documenta laboris.
Eſtis Vos etenim ſublimes culmine mentis,
Victores animîs, Victores arte celebres
Ingeniîsq; pares Doctis, meritîsq; ſupremis,
Aras tum Cathedras ornatis & alma Lycæa
Eloquiô dulci, ſtudiô, ſudore, labore.
Augetis Muſas Patriæ ſubjecta perita,
De quorũ numero es primûm recitande JOANNES
Purpureo bina vice Quem veneramur in Oſtro.

Non ita ſidonio reſplendet tincta cruore
Purpura, quàm ſalſi ſudoris cùm natat undîs,
Quas Tua frons largè pridem diffundere novit,
Poſna Tuos loquitur ſexennes clara labores,
Multos ſarmatiæ Chiron ubi doctus Achilles
Formâſti; felix calamô lingvaq; diſertus.
Cætera ſubticeo, quæ Cracia Pallas adorat
In Te ſecla loquantur opus ſolemniùs, iſta.
Phæbe ſacer citiùs ſuperaddas mellea verba:
AMBROSIUS celebrandus adeſt in Nomine dulcis,
Vir cujus volitat Muſæum fama per Orbem,
Per voces populi, procerum per corda potentûm.
Tullius eloquiô, clarens Exoticus ore,
Corda Virûm mulcet verbîs recreatq; politis.
Ejus laus adeo tranſcendit mentis acumen,
Ut nequeat ſpatiô concludi temporis arctô.
Mercurius lingvæ faveat calamoq; neceſſe eſt,
In Te Muſa feror quando celebrande JACOBE,
Obruor en grandi meritorum mole Tuorum.
Vix etenim docta redimitus tempora laurô
In Craciis fueras præclare Profeſſor Athenis,
Viſus es unicuiq; placens & promptior arti.
Præcipuè celeri Cæleſtia ſidera mente
Aſtrologus vigilans ſimulac prudens Geometra,
Quidvè Polo, tum quidvè ſolo foret eſſe neceſſe
Scitu; commonſtras & per documenta laborum
Eximiis placuiſſe Viris cum laude mereris,
Sed quia frigenti dociles ac arte carenti
Deſunt igniculi menti, quos fervor inurat
Ardentis cordis, Vobis, qui flamine doctæ
Palladis excelſis Lechicæ claretis in Oris;
Fervidiora niſi tribuantur vota Clientûm,
Pronorum, deſideriô quorum ſupereſſe
Optantur ſemper ſors, ac illuſtria luſtra.

LABO-

# LABORES HERCULEI
## operosæ Virtuti & Eruditioni XI. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatorum in prœmiatricem Coronam
# COMPOSITI.
## I. V. D. PETRO JASTRZĘBSKI

Offertur labor Herculis, quô geminos angves in cunis elisit. cum Lemmate

*primis panditur Indoles*
*Augusta cunis* Ines in Lechiade.

HErculis ingentes, exantlatosq; labores
Nemo stupere velit, cernens puerilibus ejus
Heroam mentem cunis animumq; teneri.
Ætatem virtus ùt non expectat & annos
Verùm prægrediens hos magnos exhibet ausus.
Illustres pariter tu cunas nactus in orbe
Lechæo, fortis de fortibus ortus Athleta,
Percupis assiduo duroq; labore nutriri,
Dos Academiacæ qui est & possessio vitæ.
Nobililibus debes ceris teneræq; Juventæ,
Quòd flectaris in omne bonum quasi cereus, asper
Verò complicibus sis asseclisq; malorum,
Per gestus humiles, vultum frontemq; modestam,
Mens generosa nitet niveo candore referta.
Sed non laudipetam, facere ast laudanda volentem
Te scio, pro serie laudum fero vota proinde,
Vincere Te faciat, vincens labor omnia durus,
Difficiles casus in arena Palladis. Alma
Nobilitas Virtus cûi convenit æqua potestas,
Promoveat meritis summis & honoribus auctum,
Et sic complebis spes magnas, votaq; vera
Sceptriferæ Matris, Patriæ Consangvinitatis.

## III. V. D. STANISLAO FLORIANO ZDULSKI.

Offertur Labor Herculis, quo Nemæum Leonem vicinæ formidolosum Genti trucidavit. Cum Lemmate:

*Non metuit virtus invicta laborem.* Marcel: Paling. *Lib:* 516.

Virtus desidiæ nescia sordidæ,
Quodvis audet opus fortiùs aggredi;
Donec perveniat culmen ad ultimum,
Per casus gradiens nititur arduos.
Non hanc concutiunt mille pericula,
Constans præcipites sustinet impetus,
Hanc plausus sequitur palmaq́, nobilis,
Quæ non pigritiæ, non vitio datur.
Sic complexus eam, STANESILAE das
Præclarum Specimen, dotibûs optimîs
Respondens geniô Palladi Craciæ.
Te Phæbo Comitem Tarnoviæ Scholæ
Postquam dedideris, fruge peroptima
Excellisq́; novo flore scientiæ.
Plantatus Craciis qui in Viridariis
Musarum pariet germen abundius.
Laurus præterea cùm superadditur,
Florens, & decorans emeritum caput;
Per virtutis opus cuncta paras Tibi
Hac ducente dein faustus, honorus, &
Securus peragas tempora vivida.

## IV. V. D. HYACINTHO TRABSKI.

Offertur Labor Herculis, quô Aprum in Mænalo Arcadiæ Monte cuncta vastantem jugulavit. cum Lemmate.

*Nova per duros instruxit membra labores.* Claud. de Consul. Honorii.

Quidquid Deorum munificentia
Benigna nostris usibus exhibet,
Id per labores obtinendum
Assiduas posuitq́; curas.
Honoribûs vis ac opibûs frui?
Cupisq́; vitam ducere commodam?
Sudes oportet perferendo
Quidquid erit grave, quid molestum.

Tu

Tu laureatâ cingere tempora
Optans Coronâ, sedulus ardua
Molimina ac casus subire
Non metuis nec eos recusas.
Apollini seû Palladi congruos
Sensus revolvis, séu Dialecticam
Sêu Rhetorum percurris artem,
Omne capis vigili labore.
Quô prodromanti culmina gloriæ
Attinge primæ, cresceq; Craciis
Musis in ornamentum honorum,
Præsidium columenq, firmum

## V. V. D. PETRO RYDULSKI,

Offertur labor Herculis, quô Cervam, Æripedem & aureîs cornibus decoram cepit. cum Lemmate:

*Inclytum virtus opus est laboris* Maphæ Barber: in Póêm:

OTia quid faciant & quæ discrimina causent,
In rebus æquè singulis?
Vepribûs excuberat tellus inarata, carensq;
Motu, fit aer fætidus.
Ni moveantur aquæ vitium putredinis atræ
Ad se trahunt deterrimum.
Hinc solers animô vehemente vigilq; labore
Torpore non marcescere
In desideriis avidis & mente tenaci
Optas, sequens contrarias
Desidiæ dotes. Fratris virtutibus almis
Insitis ac à Laurea;
In Craciis illum qua ornavit Pallas Athenis
Palestra deîn Zamoscia
Exsurgit florens & eâ gaudendo virescit;
Placere vis Tibi data,
Ista proinde Tibi fructus det divite partu
Laurus per hos vivacior,
Ut vincas plenus meritîs & honoribûs altis
Exosa doctis otia.

## VI. V. D. STANISLAO KALICIENSKI,

Offertur Labor Herculis, quô Harpyias Virgineum præferentes vultum sagittis confossas sustulit, cum Lemmate.

*Spes famæ solet ad virtutem impellere multos.* Marcel: Paling. Lib: I.

CAlcar gloria concitata præceps
Et immensum habet. In periculosos
Anfractus movet, acribûsq; curîs
Non deterret honesti amantiores.
Heros magnanimus volens triumphô
Ac palma celebri petens potiri;
Martis ex acie cruenta tela
Non illum fugat, ignis, hasta grando
Belli plumbea, donec æqua fine
Felici referat trophæa. Laudem
Mereris similem STANESILAE,
Musas qui teneris amas ab annis,
Nam postquam Neo-Corcinensis Ædis
Literas coleres probosq; fructus
Legeris Cracias inis Athenas,
Per gradus properans scientiarum
Donec attigeris datam politus
Metam mente sagace laurearum.
Ad quam faustus, honorus, eruditus
Intones celeusma suave semper.

## VII. V. D. FRANCISCO MATAWOWSKI,

Offertur labor Herculis, quô Taurum furiosum & flammas vomentem jugulavit, cum Lemmate.

*Egregios invitant præmia mores.* Claud: Lib: 2 de Laud Stilico:

INgenuos mores primùm quòd discere debet
Quilibet esse volens
Laudibus excelsus summ ìs & honoribûs auctus?
Dogma vetus retulit.
Si verò mores decoret sapientia comptos
Expoliatq; simul;
Unio pulchra manet; quâ non præstantius ullum
Par superesse potest.
Hìs ornamentis clarens FRANCISCE duobus
Præmia justa meres.

Mens

Mens docilis felix qua Te natura beavit
Corporis atq; bona;
Ad placitum musis ad gustum Palladi doctæ
Semper erant. Tibi nam
Seû arcana sophus, seû sensus Tullius Apollo
Ingerit arte sua.
Enodas facilis. Craciis hinc ergo Viretis
Flore juventa suo
Spem magnam spondet, simulac sperare licebit
Jure deinde Tibi;
Germen honorificum dignos fructusq; laboris.
Quod fore corde precor.

## VIII. V. D. J G N A T I O PAWLUSKIEWICZ,

Offertur labor Herculis quô Acheloum in varias formas se commutantem delevit. cum Lemmate - - - - - - - - - - - - - - - *Præmia magna Efficiunt facilem atq; levem quemcunq; laborem.* Marcell: Palling: Lib 4.

VIrtutis solidæ materies labor,
Et semen celebris fertile gloriæ;
Sit durus licèt in se,
Cultoresq; sui premat
Verùm si statuas præmia congrua
Præponasq; Viris laudis adoream,
Grandes ultro subire
Curas semper erunt pares.
IGNATI viridis cum Tibi Laurea
Quâ quondam Proceres, quave Ducum Mitræ
Ambivere nitere;
Felici obvenit omine.
Per spineta placet plena laboribûs
Argutæ Logices currere promptiùs,
Vatis Rhetoris æquè
Doctæ Palladis ars placet.
Hæc cum possideas dona scientiæ,
In virtute gradus & sapientia
Scandes spondeo, merces
Gestis non deerit Tuis.

## IX. V. ADALBERTO BUBELSKI,

Offertur labor Herculis, quo Gerionem bicorporem vitâ spoliavit, cum Lemmate: *Explorant adversa vires.* Sil. Ital: Lib. 4tô.

SI velis fortes animô virili
Noscere Heroas? peracerba rerum
In quibus dextrè fuerant probati
Nosce pericla
Scilicet fulvum velut ignis aurum
Expolit, casus ita crebriores
Dant Viris claræ documenta famæ,
Gesta perampla.
Te labor doctus vigilesq; curæ
Paladis fortem perhibent Athletam,
Queîs Tibi crevit celer eruditi
Fructus honoris.
Multa sunt magnum Tibi quæ decorem
Conferunt, postquam genium politum
Viderint semper renitere, necnon
Artis amorem.
Curre jam felix superans labores
Anxios fortis, dein auspicatam
Tange votorum teneasq; metam
Sortis amænæ.

## X. V. D. JOSEPHO KŁOSINSKI,

Offertur Labor Herculis, quô Draconem in Hesperiis hortis trucidavit, ac aurea mala sibi vendicavit: cum Lemmate: *Dignum tantorum pretium tulit ille laborum.* Martial: Lib. imô.

NUnquam fert animis quies
Torpens desidiâ munera gloriæ:
Curas effugiens labor
Rarò certa sibi præmia comparat.
Celsa nube super, volat
Horum cum merito nomine dignitas,
Virtus est quibus inclyta.
Incumbens vigili sollicitudini:
KŁOSINSKI Tibi floridum;
Quamvis ingenium Pallade Lechica

Dignam

Dignam laureolam paret;
Si ſecura tamen tendis adoreæ
Ornamenta dari Tuæ;
Quæ dives repetit dotibûs Indoles
Artisq; ingenium capax;
Quæras in ſtudiis alma fidelibus
Incrementa ſagacior,
Et grato Latii flumine defluens,
Stoæ per Cathedras ſtude.
Ad laudum titulos ingerito Tuum
Carum pectus Apollini.
Tunc virute tua tunc animi Tui
Vives fructibûs aureis
Cùm ſecurus honos ſtabit in arduo.

## IX. V. D. BASILIO MAŁOGŁOWA,

Offertur NON PLUS ULTRA Herculeum poſt edecumatos labores Abylæ & Calpæ Columnis in occidente inſcriptum. Cum Lemmate: *Geminum pugnæ proponit honorem.* Virgil. libr 9 Æneid.

QUod caret alterna requie durabile non eſt,
Perpetuis non uſibus aptum.
Atteritur preſſis ſæpe agrîs vomer aduncus,
Ac intenſus rumpitur arcus,
Semper belligerat non miles victima Martis,
Arma quies poſt prælia ponens.
Semotôq; jugo reſpiria bobus anhelis
Dat ſolers pauliſper arator.
Sic etiam Alcides exhauſta mole laborum
Monſtrîs edomitisq; tremendis.
Otia corpus alant ( dicit ) celebranda trophæa
Virtuti ſtatuantur & almis
Geſtis, ac NON PLUS ULTRA ſignare labori
Expedit, & requieſcere membris.
Hæc aſſertio non torpeſcere Te facit Alme
BASILI, quiâ mente ſagaci
Continuò Muſas ut tractes percupis, artes
Aſſiduò qui diſcis honeſtas.
Cum doctis doctè matura Tibi viget ætas,
Quælibet in ſtudium vacat hora.

Hinc quanquam per Te Sociorum clauditur agmen;
Laurea quorum tempora cingit;
Attamen ingenium solidum constante labore,
Prima potest dare culmina famæ.

# II. V. D. VALENTINO CANTIO PODZYNSKI,
Fraterni affectûs ergò
# PETRUS JASTRZĘBSKI
Ejusdem Laureæ Candidatus

Laborem Herculis, quô Hydram in Lærna palude redivivîs capitibus pullulantem vicit. offert cum Lemmate:

*Victori tanta est concessa potestas.* Lucan: in Sup: Lib. 7mô.

HYdram jam capitum septem delevit acerba
Alcides flammâ, colla mucrone secans.
Tale VALENTINO Tibi monstrum non erat ullum,
Vincere quod posses marte potente, datum.
Arte sed assidua monstrum cûi lumen ademptum
(Otia censeto) sternere fortè soles.
Fontibus ex aliis bene potus culta fluenta
Oceanum Doctûm prima petisq; vada.
Viribûs ut mentis, vegeto pollendo vigore
Frangas, esse tibi quod-rude-cunq; potest.
Laurea te in Cracias traxit Jagelonis Athenas,
Magni quâ toties eminuere Viri.
Utpote TENCZYNII Magnatum signa Ducumq;
Gestantes, publicæ fortia fulcra Rei.
Purpura Cardinei quos Præsuleiq; decoris
Cinxit, ab hac Lauru germen honoris habent.
Hæc virtus, simulac generosior Indolis ortus;
Rite Tuas dotes ad benegesta vocant.
Effectus quorum similis Te sorte coronet,
Affectus Fratris corde favente vovet.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.